

nimio in Lutherum affectu, denegatum fuit. Lutherus enim non a plausibili causa sacrorum emendationem exorsus est, sed ab ejusmodi emendando & vindicando doctrinae capite, quod Principibus nec damnum, nec utilitatem afferebat. *Tantum abest*, inquit MELANCHTHON in ejus vita, quae verba etiam repetita videmus *Chronico Carion. L. IV. p. 954.* ut ab aulicis subornatus aut incitatus sit, sicut scripsit Dux Brunsvicensis, ut doluerit etiam Dux Fridericus, moveri certamina, longe prospiciens, paulatim latius vagaturam esse hanc flammam. Et paulo post haec: *Nec incitator Lutheru, nec adplausor fuit, suumque dolorem saepe significavit, quem assidue circumtulit, metuens discordias majores.* Quae nos satis docent, parum aut nihil Fridericum pro Lutheri aut potius Reformationis causa primum intendisse, multo minus contribuisse.

§. IV. Fratrem autem ejus ac Successorem, Joannem, quamvis otiosum spectatorem in opere Reformationis haud extitisse, facile largiamur, neminem tamen ad puriorem Evangelii confessionem invitum adegit, sed saltem, quod bono & christiano Principi circa sacra externa competit, prudenter cultum ordinavit, & recte institui jussit. Additus erat Evangelicae per Lutherum restauratae doctrinae, istius vero propagationem nec armis, nec alio violento modo, sed pura verbi praedicatione, integra Sacramentorum administratione & publica confessione, quod pium Principem decuit, expediebat. Filius ejus, JOANNES FRIDERICVS, constantissime quidem Evangelio adhaerebat, vita, dignitate, imo ditionibus suis posthabitibus, nullum tamen bellum in propagandi ejus gratiam suscipiebat, sed invitus vim illatam cum aliis Principibus libertatis Germaniae, tum politicae, tum Ecclesiasticae, & conscientiae cupidissimis, vi fortiter, quamvis paulo infelicius, repellebat. Manet igitur in solidum singulare divinae potentiae docu-

D 2

men-